



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum XV. Perlatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

## Cùm sæculum.

## PARAPHRASIS.

Scribit Alexander III. Hospitalarijs, & interdicit, si ratione emptorum, vel aliter acquiritorum feudorum Jus Patronatûs in Ecclesijs parochialibus acquirant, ne ideo jus parochiale Episcopi minuere præsumant.

## SUMMARIUM.

1. *Qui fundum feudalem titulo civili acquirat, etiam Jus Patronatûs fundo illi annexum per accidens acquirat.*
2. *Patronus contentus esse debet juribus à SS. Canonibus sibi concessis.*

**N**otandum primum. Si quis fundum feudalem emptione, vel alio titulo acquirat etiam, annexum fundo Jus Patronatûs per accidens, & concomitanter acquirat. Ita hic & in *c. ex litteris 15. hoc tit.* & docuit *l. 4. ff. de c. 13. n. 20.*

**2** Notandum secundum. Patronus juribus, sibi à sacris Canonibus ex gratia concessis, videlicet Clericum præsentandi, Ecclesiam defendendi &c. contentus esse debet, & alia jura parochialia vel Episcopalia non imminuere, aut se immiscere: quod etiam locum habet, si Patronus Clericus sit, *c. consuluit 15. hoc tit.* Vide *Gloss. super hoc c.*

## CAPITULUM XIV.

## Ex Insinuatione.

## PARAPHRASIS.

**O**. Clericus questus est Alexandro III. tametsi Jus Patronatûs in quibusdam Ecclesijs ad ipsum pertineret, quia à fratre suo liberaliter collatum fuerat, nihilominus aliquos eas Ecclesias ausos fuisse occupare, & detinere; idem mandat Papa, ut detentores isti cogantur Ecclesias Clerico illi restituere, quod liberè & pacificè ordinare possit.

*Utrum ex hoc Capitulo probetur, quod quis propriâ auctoritate possit suo patrono Jus Patronatûs remittere?*

**E**X hoc c. multi colligunt apud Abbates hic, quod Patronus Compatrono suam etiam privato, absque Episcopi consensu Jus Patronatûs remittere, seu donare possit, quæ doctrina licet secundum se vera videatur, uti docuit in *c. querimoniam 9. hoc tit.* propterea quod hæc non sit proprie alienatio, seu Juris Patronatûs translatio, cum novus Patronus Ecclesiæ non constituitur, sed Compatronus auferatur. Attamen ex hoc textu non satis ostenditur, quia, ut *Hofst. And. & alij* hic notant, foris *O. C.* cuius fuit Rector alicujus Ecclesiæ, cuius nomine ipsi Jus Patronatûs à fratre suo, quod in quibusdam Ecclesijs habebat, donatum erat. Id colligi videtur ex eo, quod subrogatur, dicto Clerico Ecclesiæ ordinandi liberam potestatem competere, quod dicitur non potest de Patrono ratione Patronatûs, nisi constat ex *c. precedente, & c. ult. hoc tit.* sed de aliquo Ecclesiæ Rectore, licet Episcopus non sit, ordinationem tamen, sine Institutionem ministrorum ex jure speciali, v. g. præscriptionis habente. Accedit, quod hic non negatur, consensum Episcopi intervenisse. Quare cum casus hujus c. non limitis expressus, nihil ex eo certi inferri, ut annotari potest.

## CAPITULUM XV.

## Perlatum,

## PARAPHRASIS.

**C**ùm Sanctuarii Dei jure hæreditario tenentur non possit, sustinendum non est, si Clerici Ecclesias à parentibus suis fundatas proptia auctoritate retineant, vel à Patrono Laici eas filijs, aut Laicis aliquibus concedant.

## SUMMARIUM.

1. *In Ecclesiasticis beneficijs Jus hæreditarium locum non habet.*



2. Patronus Clericus se ipsum præsentare non potest.
3. Potest tamen filium suum præsentare, si dignus ille sit.
4. Casu, quo plures sunt Patroni, quorum unus sit Clericus, potest hic præsentari.

Notandum primum. Ecclesiæ beneficia, jura, & bona Ecclesiastica jure hereditariæ successione trahere non possunt *c. 1. de præben. c. 2. concess. præb. c. Apostolica 7. causa 8. q. 1.* Quare filius, aut successor Patroni, tamen si Clericus sit, non potest fructus Ecclesiæ, aut beneficij Patronati colligere, uti *And. hic* admonet.

Notandum secundum. Patronus Clericus alium Clericum præsentare debet, cum non possit ipsemet beneficium retinere, neque se ipsum præsentare *c. per vestras 26. hoc tit.* quemadmodum nec is, ad quem collatio, aut institutio spectat, se ipsum instituere potest *c. ult. de instit. & consentit lex 4. ff. de tutoribus datis.* Veruntamen, si Patronus Clericus pro ea vice renunciaret juri suo absolute, liberè, & sine omni pactione, dubitandum non videtur, quin liceat Episcopo eundem idoneum, maximè si præ alijs dignus videatur, instituere, dummodo scandalum cesserit.

Quæritur primò. An Patronus filium suum, si dignus sit, præsentare possit? Aliqui negant in Gloss, marg, hic; tum quia Pater & Filius una persona censentur *L. ult. cod. de impub. & alijs substit. Gratianus in 6. contradicimus 21. causa 3. q. 3.* tum quia filius patri acquirit, *Instituti. per quas personas &c. L. cum oportet 6. & L. ult. cod. de bonis qua. liberis,* ergo pater videtur se ipsum tunc præsentare, quod concessum non est. Sed contrarium rectè tradit Gloss, *hic v. perpetua, Innoc. And. Abbas & alij hic, Azor t. 2. l. 6. c. 21. q. 2.* quia nullibi id prohibitum reperitur, ergo concessum ceteri debet. *argum. c. cum apud de spons. & sumitur ex L. illud 5. ff. quod cujusque universitatis.* ubi dicitur, quòd pater in hoc suffragium sive electionis vocem dare possit, &

filius patri. Item ex *c. quia 6. hoc tit.* Neque obstant argumenta contraria, cum pater & filius non sint una persona in veritate, sed juris fictione, quæ non attenditur, nisi in ijs, in quibus introducta est. Neque filius patri acquirit in spiritualibus, sed tantum in bonis profectitijs, sive ex patris substantia quæsitis, & in bonis adventitijs, quoad usumfructum *cit. L. cum oportet.*

Quæritur secundò. Si plures sint Patroni, quorum unus Clericus, num unum ex ipsis præsentare possint, si alioquin idoneus sit? Affirmandum est, cum Gloss, *fin. hic ibidem And. Abbas & alij Azor q. 3.* Sumitur ex *c. cum in jure 31. de electione.* ubi Commissarij unum ex se ipsis eligunt, & ita quidem, ut ipse consentiens coëligat, & numerum eligentium augeat: quia licet electio (& ita etiam dicendum de præsentatione) non habere possit liberè originem ab ipso eligente, attamen electionem aut præsentationem ab alio, vel alijs de se inchoatâ ipse coëligens sive compatronus consummare non prohibetur, uti latius explicavi in *disp. de præb. q. 88.* quare regulam hanc tradit *Abbas ex L. nbi absunt 19. ff. de tutoribus datis,* quòd deputati ad eligendum officialem unum ex numero suo eligere possint.

## CAPITULUM XVI.

## De Jure.

## PARAPHRASIS.

Mandat Alexan. III. si R. Jus Patronatūs emptione comparavit, ut contractus irritus pronuntietur, cum enim Jus Patronatūs sit spirituali annexum, vendi non potest.

## SUMMARIUM.

1. Jus Patronatūs per se emi pro temporali re non potest.
2. Ratio, quare per se emi non possit, possit tamen comparari accessorie.

Ooo 3

Notar.